

amitterem? tum pol ego is essem vero qui simulabar.

AN. sane hērcle ut dici'. sed ūterim de symbolis quid actumst?

60 *CH.* paratumst. *AN.* frugi es: ubi? domin? *CH.* immo apud libertum Discum.

AN. perlongest, sed tanto ocius properemu': muta vestem.

CH. ubi mutem? perii; nam domo exsulo nunc: metuo 610 fratrem

ne intus sit; porro autem pater ne rure redierit iam.

AN. eamus ad me, ibi proximumst ubi mutes. *CH.* recte dicis.

65 eamus; et de istac simul, quo pacto porro possim potiri, consilium volo capere una tecum. *AN.* fiat.

ACTVS IV

i

DORIAS

Ita me dī ament, quantum ego illum vidi, non nil timeo 615 misera,

nequam ille hodie insanu' turbam faciat aut vim Thaidi.

nam postquam iste advenit Chremes adulescens, frater virginis,

militem rogat ut illum admitti iubeat: ill' continuo irasci,

5 neque negare audere; Thai' porro instare ut hominem invitet.

id faciebat retinendi illi(u)s causa, quia illa quae cupiebat 620 de sorore ei(u)s indicare ad eam rem tempu' non erat.

invitat tristi': mansit. ibi illa cū illo sermonem ilico;